DE MENSTRUIS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ANNUENTIBUS...

Felice Gaffuri



DE MENSTRUIS
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS PRÆCLARISSIMIS
ORDINIS MEDICI PRÆSIDE
DECANO ET PROFESSORIBUS

AD MEDICINÆ LAUREAM

IN C. R. ARCHIGIMNASIO TICINENSI
RITE ASSEQUENDAM
UNA CUM ADNEXIS THESIBUS
PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

Felix Gaffuri

Novocomensis

TICINI REGII
EX TIPIS JOAN. JAC. CAPELLI,
1819.



JOSEPHO FREDDI

MEDICO EXIMIO

In Patrio Archigymnasio Ticinensi

PATHOLOGIÆ ET MATERIÆ MEDICINALIS

PROFESSORI PRO SUPPLEMENTO

HANC DISSERTATIONEM

CANDIDATUS

D. D. D.

DE MENSTRUIS.



Inter omnia oeconomiae animalis phoenomena explicatu difficilia, et abstrusa, menstruatio est recensenda; e tanta hujusce functionis in foemineam salutem, potestate, ducti, ad hunc nodum solvendum plures omni aevo naturae scrutatores insudarunt, suasque unusquisque hypotheses concinavit, quas colligere, ponderare, et ex hisce probabiliorem seligere, quantum, et tempus et vires permittant, conabimur.

Menstruus fluxus est periodica in foeminis jam pubescentibus, plerumque nec pregnantibus, nec nutricibus mensilis evacuatio cruenta; solae humanae foeminae a pubertate ad limen usque senectutis hoc mensile tributum persolvere imposuit Natura. quod si quaedam animalia amorum tempore sanguinem guttatim e pudendo amittunt, non ex hac lege, sed potius a venerea cupidine, a genitalium turgore, tensione et pertractatione, effundunt. Ista lex omnibus populis, omnibus in regionibus imperat, et erronea nunc evasit opinio quod foeminae Brasilienses menstrua purgatione careant Nec natura a suo tramite aberrat si adsunt quaedam quae unquam menses cognovere, et tamen erant foecundae, nam id e peculiari genitalium fabrica, vel ab haemor-

rhagiis vel secretionibus vicariis, pendet, neque haec pauca exempla valent contra tot saeculorum observationes.

Pubertas sub genitalium evolutione adparet, eamque vel anticipare, vel retardare queunt Coelum, ratio vivendi, innumeraeque aliae circumstantiae. Clymate temperato ad decimum tertium, quartum, quintum annum pubere est puella; tardius in locis septentrionalibus, et frigidis, citius in calidis; in Affricae et Asiae meridionalis regionibus ad secundum lustrum foeminae pariunt. Coelo sub Italico puella ad tertium lustrum cum pervenerit jam est evoluta, jam menses habet, et ab hac aetate usque ad quadragesimum quintum, vel quinquagesimum annum, fluunt, sed generatim quo citius, adparent, eo citius disparent, et contra. Quoque ratio videndi, et temperamentum differentiam ponunt, hinc vita sedentaria, mollisque educatio, salacitas, victus lautus, abusus liquorum ardentium hinc animi sensilitas, hinc temperamentum calidum, plethoricum, irritabile, etc., ad praecocem pubertatem evolvendam, conspirant. Hac vero accedente evolutione, notabiles phisiologicae mutationes in organismo utriusque sexus, observantur; et in foeminis mammae erumpere, turgescere videntur, genitalia pilis ornantur, oculi amore micant, summa adest sensibilitas, morositas, et nuncius amoris pudor, erga alterum sexum proclivitas, inertia ad motum, etc., ad uterum ad vasa hypogastrica in majorem quantitatem sanguinis unda impellitur unde laevis incenditur febris, dolores exoriuntur lombares a nervorum distensione, crurum lassitudi-

nes, phlogoses, pulsus celeres, pustulae in facie efflorescunt, et demum humor serosus postea sanguineus e vagina effluit, et hic fluxus per tres, quatuor, quinque dies perdurans, omni mense renovatur.

Sepositis de lunae imperio, de fermentatione, de humorum acrimonia nimis generalibus, et mechanica doctrina redolentibus theoriis, duce anatome et phisiologia a plethora uteri, et officio, caussas catameniorum derivamus.

In utroque sexu a virium digerentium robore ab haematopoesi incitata oritur plethora arteriosa: eam demonstrant in maribus, alacritas summa, floridusque color, pubis eruptio, seminis elaboratio, omnes secretiones, et excretiones auctae, ad Venerem pruritus, et praecipue epistaxes, aliaeque haemorrhagiae. In foeminis tanto magis haec nasci debet a mollitie fibrarum, a compage magis delicatula, ab inertia ad motum, a vitae genere minus activo, a minori cutis transpiratione, dum apud mares per causas externas, per labores, per sudores, per urinas humores dissipantur. Hales in sua haemosthatica majorem in sexu foeminеo, quam in virili sanguinis quantitatem adesse refert.

Sanguinis ergo praepouderantia plusquam par sit ad nutritionem, ad incrementum adcumulatur, ad uterum ob aptam suam structuram spongiosam, capacitatem, sensilitatem, et legibus quoque mechanicis, delabitur, ibique delapsus plethoram facit uterinam. Vintringamj, et Soemering observationes docent arterias uterinas esse debiliores, flexiliores ampliores unde a sanguine irruenta facilius distenduntur maguamque fluidi

quantitatem recipere possunt. Aorta descendens suaeque ramificationes in foeminarum pelvi, majorem quam aliis in locis, alioque in sexu amplitudinem, et flexilitatem ostendunt; proinde ad hanc plethoram favendam concurrunt venae systematis uterini valvalis destitutae, majori densitate, et robore, minori vero amplitudine preditae, idcirco non semper sanguinem ab arteriis in utero delatum absorbere valent. Ergo a fluidi abundantia, impetu et a distensione flexilitate vascula minima arteriosa uteri, et aliquando vaginae, certis temporibus guttatim cruorem amittunt per vaginam, qua via solite praeclusa sanguis insolitas sibi aeligit vias, et per omnes fere corporis partes cum notabili salutis laesione exit. Jure ergo meritoque plus sanguinis in pelvim mittitur, et hunc requirebant viscera in pelvi foeminea majora, hunc requirebat foetus ad opus incrementi, et nutritionis.

Huc esset obiiciendum, cur foeminae brutorum suos natos et nutriant, et pariant si hac plethora, si menstruis destituuntur; hanc difficultatem solvimus observando quod foemina humana sola trunco erecto incedat, omnibus temporibus amplexus viriles cooptet, et ad generationem omni tempestate a nature vocetur; sub hac ergo positione verticali uterus, suaque vasa sanguinea sunt ad horizzontem perpendicularia, hunc sanguis praeter leges dynamicas, et physicas ad uterum vocatus contra vasorum orificia premit, gravat; haec vero pressio in brutis lateraliter fit non in vasorum osculis, sed in parietibus, cum vasa uterina sint horizzonti parallela.

Ex dictis patet quod plethora uterina potius quam universalis sit praeceps catameniorum scaturigo: id enim demonstrant uteri structura, pallor faciei, oculorum languor, lumbares dolores, crurum lassitudo, et omnia phoenomena menstruationis ingressae, quae collapsum partium superiorum demonstrant ob sanguinem in genitales partes irruentem. Quod si foret plethora universalis causa mensium cur foeminas cachecticae tabidae notabiliter aliquando sunt menstruatae, cur aliunde plethoricae, robustae, et bene pastae, irregulares, paucioresque habent fluxus?

A quibus vero vasis catamenia fluant an ab illis quae ad uterum, an ab illis quae ad vaginam deferuntur magna est intre auctores controversia, quam facile componimus attendendo eamdem esse partium structuram, eamdem vasorum conformationem, ideo aliquando ab utero aliquando a vagine, saepius tamen utrinque in puellis fluunt, sed in matribus propter vias libentius patentes frequentius quam in virginibus ab utero, at quamvis proferantur exempla mulierum, quibus, etsi gravidae et utero stretae fuerint, aut uteri inversi prolapsu laboraverint, et tamen menstrua fluxerint, nil aliud probant quam egregia naturae medicatricis conamine, quae via praeclusa regia insolitis viis feliciter uti novit

Alia quoque agitatur lis utrum e venis, an ab arteriis profluant; sed, si, a venis, derepente per rexim in magnam quantitatem fluerent, deinde a plethore arteriosa, ex vasorum structura, et officio liquet arteriolas capillares uteri, et

vaginae paullatim per anastomosim segregare prius humorem pellucidum serosum, ac deinde sanguinem floridum rubicundum, qualis effluit e victima recenter mactata, et si aliquoties colorem immutat, et foetidus, et corruptus adparet, hoc ex detensione, mora inter vaginae plicas, in utero, vel eorumdem vitio, et morbo, est tribuendum. Vteres sanguini menstruo malignitatem tribuebant unde strana phoenomena hunc humorem gignere autumabant. Apud Haebreos vetabatur per hebdomadam foeminis menstruis detentis adsociari, mortemque conjugis lex minitabatur si tali tempore munera matrimonialia fungebantur, et veh! puellis si ad thorum accederent nuptiale antequam in balneo omnes impuritates deposuissent; et futilis haec opinio adhuc hodierno aevo viget, nam apud quosdam Graecos foeminae menstruatae Templum pergere nequeunt.

Aat his sanguis nil distat ab alio nisi in eo quod plasticitatem et coagulabilitatem non praesefert extra graviditatem: hanc fluiditatem et dissolutionem a fibrinae deficientia pendere claris experimentis perbelle patefecit Franciscus Lavagna (a) menstruum cruorem, cruoremque e vena eductum comparando et analizzando, et hanc sanguinis conditionem mutari, et modificari demonstravit ab uteri relativa vitalitata, et sensilitate quapropter vasa uterina secretionem et elaborationem mensilem commutant, et modificant. Pars sanguinis nutritiia est fibrina, si

---

(a) *Giornale di Brugnatelli tom. X.*

ista deficit quomodo menstrua praebebunt foetui nutritionem? Experimenta ejusdem auctoris docent, sanguinem ex recisione funiculi umbilicalis collectum, at ad foetum euntem esse fibrosum, coagulabilem, fluidum vero illum refluentem a foetu, ad cujus nutritionem suam impendit fibrinam. Omnibus secretionibus praeadest vis vitae dynamica, sensilitas, qua mutata aucta, vel imminuta, mutantur vel in quantitate vel in qualitate secretiones; sic uteri praegnantis turgor, sanguinis afflluxus, exaltata incitatio, auctus orgasmus, foetus praesentia, vitalitatem, et sensibilitatem uterinam exaltant, quocirca sanguis ad majorem animalizzationem exaltatur, principio fibroso oneratur, majoremque densitatem acquirit, id quod observatur in partibus phlogosi correptis in quibus pseudomembranae, gignuntur, sic in febribus inflammatoriis in quibus sanguis crusta phlogistica tegitur, et nisum in contractionem ostendit ob praevalentem incitationem: contrarium prorsus accidit in morbis hypostheniсis in quibus vis dynamica languet, hematopoeseos negotium labefactatur sanguis in expansionem, in dissolutionem nititur, colliquescit, quemadmodum evenit in febribus putridis, in scorbuto, in diabete mellito. Catamenia principio fibroso imbuuntur ea ratione qua foetus augendo nutritione progressiva indiget, unde in ultimis gestationis diebus haemorragiae uterinae vires prosternunt, abortus inducunt, et cachexias: sic sub placentae disjunctione sanguis extillat fibrosus, coagulabilis, et experientia teste, foeminae quibus, in graviditate menstrua immodica fluxere, natos pallidos,

cachecticos, pariunt. Sat clare igitur patet usus et metamorphosis hujusce fluxus sanguinei catamenialis.

Evacuati cruoris quantitas pro varietate temperamenti, aetatis, victus, diversa est: abundantior in calidis regionibus in subjectis plethoricis salacibus, cibo, potuque ardenti indulgentibus, vitam inertam, desidem, trahentibus. Parcior acontra in locis frigidis, in foeminis laboriosis; ad aetatis usque florem augetur, florente aetate permanet, aetate rorsus declinante paullatim minuitur. Quoque in qualitate variat, mox ad lympham propius, mox ad sanguinem accedit humor menstruus. Haec vero secretio imminuitur vel omnino tollitur a vicariis secretionibus; a puris a sanguinis, aliorumque humorum dispendio. In praegnantibus, graviditate incipiente cum foetus parcam sibi quaerat sanguinis quantitatem, parcius effluit, sed foetu tandem increscente penitus menses supprimuntur, nam plethoram uterinam in suum incrementum convertit; sic in lactantibus, ob sanguinis ad lactis secrationem dispendium. Quoque in periodis aliqua adest incostantia, mulieribus sanis solent redire semel in mense, in sensibilibus in salacibus, plethoricisque bis, et ter absque salutis noxa: neque constans est fluxus duratio, in aliis anim trium, in aliis quatuor, quinque, at sex dierum spatio persolvitur: plerumque tamen triduo perdurat.

Cur periodice quovis mense catamenia revertunt? Mens humana omnia quantumvis sensibus obtecta, et abstrusa phoenomena persequi, et evolvere conatur.

Aristoteles, Galenus, Mead, Darwin, aliique

periodicitatis caussam primariam in Lunae gravitatione quaesivere, uterum cum Oceano comparantes, cum esset Luna causa fluxus, et refluxus maris, sic ab illa caussam fluxus menstrui derivarunt, ab argumento ducti quod adparitio menstruorum Lunae fasibus respondeat; sed hanc hypoteticam opinionem convellimus observando quod omnibus foeminis in eadem aetate, regione, temperie positis hoc astro veniente menstrua deberent oriri, decedente vero, silere, quod non observatur; omnibus enim temporibus, circumstantiis, fluxus menstruus adparet, et evanescit nullo habito respectu ad novilunium, et ad plenilunium. Astrorum omnino influxum in orbe terrarum non negamus cum omnia sint harmonico nexu adstricta, sed si causa catameniorum ex organismi animalis legibus eruitur cur eam in astris quaerimus, cur ex illis, illam extorquere conamur, si non sat claram eam in nostra machina invenimus? Si nulla est Lunae potestas in hydrargirium barometri, nullaque ergo erit in vasis uterini capillaribus, quae a lege potius dynamica quam physica gubernantur! Pleraque oeconomiae animalis phoenomena adhuc in densis versantur tenebris nunquam forsan explanandis, easque immaginarius hypothesibus detegere nititur ingenium hominis audaciter naturae penetralia petens, sic phoenomena ratiocinio, non ratiocinium phoenomenis, accommodat; unde hodiernis diebus quoque heu! cum notabili artis medicae detrimento furor invasit ad universalia redigendi, et ad dolosam simplicitatem omnes complicatas nec bene cognitas nostri organismi leges, illasque

physicis chemicis legibus comparandi absque consideratione principj vitalis, cujus natura et leges adhuc ignorantur.

Haller hanc periodicitatem difficiliter explicari posse videns potius quam illam vanis, et immaginariis rationibus suffulcere, prudentius ex quaestione exivit hisce verbis. « Si requiraa eur menstrua magis quam alia quacumque periodo nascatur plethora, et per uterum expurgetur non magis credo me ad respondendum teneri, quam tenerer, si quaereres, cur nono mense foetus humanus in lucem aedatur, alio mense equinus, ovillus, aut si rationem peteres quare plantae aliquae Aprili mense floreant, aliae Majo, Junio, et quarta sexta post florem septimana, cerasa maturescant, quarto mense poma, castaneaeque quinto » . . . .

Posita prima catameniorum, a plethora, et sensilitate uterina, adparitione, potest ne habitus successivos fluxus itarum periodice revocare? Huic habitua legi systhema arteriosum non obtemperabit, si et alia corpora humani systhemata obtemperant? Si habitus imperium in somno in functionibus ventriculi, in quibusdam excretionibus, haemorrhagiis, in febrilibus paroxismis periodicis, in doloribus etc. cor non aderit in menstrua secretione? Omnia enim in natura eum ordine, periodicitate, et harmonia perficinntur; et omnes naturae leges ad quamdam utilitatia scopum vergunt; scopus igitur quo, ipsa, foeminam humanam ad menstruationem subjecit testante Hallero, est ut graviditatis tempore in utero foret parata opportunitas sanguini, quem uberius ad foetum nutriendum opportebat tran-

emitti, et ut extra graviditatem plethora uterina per hanc legem eliminetur. Hanc naturae intentionem comprobamus ex observatione, quod menstruatio aetati et facultati generationis munere fungendi par est: adparet enim cum puella e dulcibus naturae blanditiis ad procreandum invitatur, cessat, cum silet generandi facultas, silet in gravidis, silet in sterilibus foeminis, et vetulis etc. In primo catameniorum adventu, multa inveterata mala uti convulsiones, epilepsiae, febres, caephaleae, etc. eradicantur: sed quoque sub eorum ultima cessatione, cum ob rigiditatem uteri fibrarum, et arteriarum istae nequeant extendi, cum vis generatrix silet, aliaque non minora propullulant damna, praecipue in foeminis, quae, aetatis flore, Veneri, Bacco, solatiis, vitam sacrarunt; hinc dolores arthritici, herpetes, hysterisses, spasmi, aliaeque Proteiformes affectiones eis superstites vitae dies conturbant.

Exhisce elucebit quanta malorum illiae enasci posset cum fluxus mensilis a norma naturali deflectat, sive sit morbose adauctus sive imminutus, vel abolitus.

Sub catameniorum abundantiore, vel plures per dies vel pluries in mense plusquam par sit, evacuatione, virium imbecillitates, faciei pallores, arthralgiae, convulsiones, asthmata, frigus exstremitatum, lypothimiae, sincopes, tumores, hydropes, paralyses, atrophiae, febres hecticae in scenam ludunt. Hac metrorrhagia menstrue laborant mulieres compage laxa praeditae, cachecticae, quae pluries abortivere, quae cibo lauto, vino, choraeis indulxere, quae, men-

struis, non gravidae, non nutrices, ea ruere. Nec minora sunt quae in eorumdem imminutione, et suppressione ingruunt symptomata, lombagines, arthralgiae, uteri, aliequae abdominales phlogoses, angiostheniae, obstructiones, venarum varicositates totius corporis gravitas, imbecillitas, cbolicae, vomitus, anxietates praecordiales, cordis palpitationes, tusses, dyspneae, sincopes, in capite ad sinciput dolor acerrimus, vertigo, ophtalmia, insomnia, epilepsiae apoplexiae, histaericae passiones, hidropes, dispepsiae, clorosis, et sanguinis per aliena insolita loca eruptio, quae omnia vel ab utero, vel a visceribus eum illo consentientibus, a sanguinis translocatione, suam depromunt originem. Organorum uteri consociatorum adfectiones non semper menostbasiae sunt effectus, saepe saepius sunt causae: omnes enim irritationes quae ab utero ad alias partes irradiantur, ab aliis partibus in utero possunt concentrari: sic irritatio in nervis cutaneis ex frigore repentino, in nervis olphacti ex odore ingrato, animi pathemata, intuitus objecti terrifici, inflammationes abdominales, motus nimii, victus, vomitus, febres, secretiones nimiae, haemorrhagiae etc. uteri functiones turbare solent. Hanc, mirabilem, cum omni organismo, uteri, amicitiam oportet cognoscere; in facie squallida, in oculis languidis, in cutis ariditate, colore, melancolia pathologicam uteri conditionem peritus medicus legit. Pulmones, prae aliis organis, uterinis adfectionibus, adficiuntur: sanguis in amenorrhaea ad vias respirationis ut plurimum defertur, unde anxietetes, dyspneae, tusses, pneu-

morrhagiae, quae omnia sympthomata silent cum sanguis iterum ad uterum reveni. Clarum exemplum hujusce consensus mihi enarravit clarus in re medica Vir in puerpera Novocomensi, quae partu feliciter exantlato, derepente suborta lochiorum suppressione, et in pulmonibus metastasi peracta, sub summa respirandi difficultate suffocata obivit. Heberden observavit magnam in hecticis adessa salacitatem, et conceptionis facilitatem, et conceptionem in ipsis vitam procrastinare.

A menosthasia plerumque clorosis gignitur, enim ad hujusca morbi pathogeniam, alia, suam symbolam dant, momenta: adsunt vero foeminae clorosi detentae, quibus menstrua nihilhominus fluunt, et teste Bonneto etiam viri clorotici evadunt.

Amenorrhaea clorotica, quam sicco pede percurrimus, sequentes praebet caracteres: Pallore cereo tota suffunditur cutis, quae morbo inveterato flavescit, viridescit, albuginea oculi tamen nativum colorem album retinet, vires labuntur, pigritia, inertia ad motum adest, post levem motum et praecipue sub scalarum adscensione oritur anhelitus, palpitatio cordis, adpetitus prostratur, haematopoeseos negotium labefactatur, deficit sanguini debita consistentia, et coagulabilitas, deficiunt globula rubra, unde decoloratio, compages solidorum laxa, hydrops, anorexia ex digestione alterata, pica, ab herethismo aucto febris sympthomatica, oriuntur; postea secundariae quoque functiones cerebrales patiuntur, accedunt phoenomena psychica melancolia, maestitia, solitudinis amor, facilis fletus

cupiunt, nolunt, meditantur, habent nisum in alium sexum, quaerunt amatum objectum, et sic amore infelici torquentur. Nobiles puellae prae villicis ob molliorem educationem, ob animi sensilitatem, et mollitudinem, ob vitam sedentariam solatiis deditam, ob dietam lautam, etc. clorosi plectuntur.

Ex catameniis phisiologice et pathologice consideratis ex uteri dignitate consensu, ufficio, patet, quanta, ex isto, foeminis, malorum cohors, exoriatur, et quanta medicus indigeat attentione, perspicacia, ad causas morbi primarias eruendas, ad rectam diagnosim, et therapiam instituendam.

THESES DISCUTIENDAE.

I.

In enteritide acuta drasticorum usus immodicus nocet.

II.

Morbi Spastici convulsivi, aliaeque nevroses ex plethora sanguinea suam originem depromere possunt.

III.

Organismus humanus quibusdam in circumstantiis absque praegressa infectione principium contagiosum evolvere potest.

IV.

Genium epidemicum, stationarium, endemicum, non est negligendum ad diagnosim eruendam.

V.

Potentiae immateriales, morbos organicos, gignunt.

VI.

In Sonambulis, in acephalis systema medullare et gangleare, munera systhematis cerebralis, funguntur.

VII.

Clorosis adesse potest absque amenorrhaea.

VIII.

Peticulae non solum typhum, sed omnes febres comitare possunt, et quoque absque febre observantur.

IX.

Amor frustratus plurium malorum est fons.

X.

Urina, pus, lac, in circulum resorpti, et ad cerebrum, per metastasim, transvecti, apoplexiam inducunt.